

DISSERTATIONIS
HISTORICO - LITTERARIO - CRITICÆ
De

CAUSSIS
FLORESCENTIS & MARCESCENTIS
REPUBLICÆ LITTERARIÆ,

PARS PRIMA,

QUAM,

*Consensu Incliti Philosophorum Ordinis Regiae ad
Auram Academice,*

PRÆSIDE

MAG. JOHANN E
BILMARK,

HISTOR. ET PHILOSOPH. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORDIN.

Publicæ Bonorum Censuræ subjicit

ABRAHAMUS NICOL. CLEWBERG,
TAVASTENSIS.

Die XIX. Junii Anni MDCCCLXXL

H. A. M. S.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

S:Æ R:Æ M:TIS

SUMMAE FIDEI VIRO,

REGIS REGNIQUE SVETHICI SENATORI,

CANCELLARIE REGIÆ PRÆSIDI,

SUPREMO AULÆ PRÆFECTO,

REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS CANCELLARIO,

ORDINUM REGIORUM EQUITI,

COMMENDATORI AC CANCELLARIO,

ILLUSTRISSIMO ATQUE CELSISSIMO

COMITI AC HEROI,

DOMINO

**CLAUDIO
EKEBLAD;**

MÆCENATI SUMMO.

A decorative horizontal line consisting of a series of black asterisks (*). The line is centered and spans most of the width of the page.

Dux amicorum generose Regis,
Curiæ Regni lapis angularis,
Grande prudentum decus aulicorum,
Gloria Gentis.

Exhibe vultum dubiæ serenum,
Quo nihil quisquam melius sub arcto,
Aulicos inter proceresque terræ,
Vidit ocellis.

Quæ meus cepit pater, eja! quondam
Gratiæ multæ documenta multa,
Hæc metum tollent, animumque gnatæ
Exhilarabunt.

Te piis laudant celebrantque labris,
Consona linguae pietate mentis,
Quidquid in cunctis habitat Borei
Partibus orbis.

Confe-

Consonat late genus omne gentis:
Doctus, indoctus, rufis & politus;
Magnus & parvus, juvenis senexque;
Virque puerque.

Qui domos magnas struit & superbas;
Qui librum Sacrum legit explicatque;
Qui struit nummi cumulos corusci;
Qui colit agrum.

Sæculi lumen populique splendor
Audis; & quidquid pia mens amore
Capta virtutis potuit potestque
Dicere laudis.

Phœbus huic audis, populique docti
Integer, justus, placidusque Rector:
Ille sincerum vacuumque dicit
Fraudis & artis.

His inest dictis pia genuinis
Veritas, quam TU toties, bonorum
More, demonstras, graviore verbis,
Pondere rerum.

Finiens carmen veneror Supremum
Numen; enixe precibus precando,
Ut tuum vitae spatium beatæ
Expletat ævum!

Celsa mens sanum regat usque corpus!
Floreant vires vigeantque semper,
Gloria donec superaris omnes,
Sol sapientum!

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Cliens devotissimus
ABRAHAMUS N. CLEWBERG.

S:Æ R:Æ M:TIS

MAXIMÆ FIDEI VIRO,

REGIÆ REVISIONIS CAMERÆ PRÆSIDI,

ET

EQUITI DE STELLA POLARI,

ILLUSTRISSIMO ATQUE GENEROSISSIMO

COMITI,

DOMINO

CAROLO
WILHELMO
VON DÜBEN,

MÆCENATI MAXIMO.

Id demum animi vere generosi characterem prodit, ita pristinas retinere amicitias, ut, quos semel idoneas ab caussas diligere inceperis, eis, non tantum dum vivunt, semper bene & cupias & facias, sed etiam post fata amicam eorum memoriam colas, inveterata benevolentia quodam quasi jure hereditatis ad liberos translata. Ex illo inde tempore, quo beato meo parenti ea

encontigerat felicitas, ut TIBI, MÆCENAS MAXIME, adjunctus es-
set partim adjutor, partim spectator progressuum, quos divinum TUUM
ingenium in omni eruditio[n]is genere, quo sapientia atque pru-
dentia paratur, faciebat rapidissimos, tanto eum amore dignatus
es, ut minus amasse TIBI videreris, nisi, ipso defuncto, mibi e-
undem benevolentiae affectu[m] quavis occasione testatum ires. Quam-
vis autem facilius sentire quam explicare possim, quanti tantam
æstimem gratiam, ingrati tamen animi notam vix effugerem,
nisi, quam mibi fortuna dedit occasionem, ea jam utendum ju-
dicarem ad publice testandum, quam me totum TUUM esse senti-
am; præsertim cum is semper sis futurus, quem nullus neque
natalium, neque munierum, neque honorum splendor impedire pos-
sit, quo minus virtutem etiam in hominibus infimæ fortunæ ad-
gnoscas, diligas, foveas. Quod reliquum est, PATRONE PROPEN-
SISSIME, prius spirare desinam, quam pro perpetua tum TUA tum
GENEROSSISSIMÆ TUE FAMILIÆ incolumente ac felicitate vo-
ta nuncupare devotissima, ad ultimum vitæ halitum permanensuræ

ILLUSTRISSIMI ET GENEROSSISSIMI
NOMINIS TUI

Cultor devotissimus

ABRAH. NICOL. CLEWBERG.

VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo,

**D: NO CHRISTOPHORO
CLEWBERG,**

S. S. Theologiae DOCTORI ac PROFESSORI Reg. ac Ord.
in Reg. Acad. quæ Upsaliæ floret,

PATRUO OPTIMO.

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo.

**D: NO PETRO ADRIANO
GADD,**

In Reg. Acad. Aboënsi Chemiae PROFESSORI Reg. & Ord.
Rei Plant, per Finlandiam DIRECTORI, nec non Reg. Acad.
Scient. Holm. SOCIO,

AVUNCULO OPTIMO.

Si plane paternum animi affectum, quo VOS, PATRUE
& AVUNCULE INDULGENTISSIMI, me omni tem-
pore, ex quo in fatis fuit, ut præsidio Optimi Parentis carerem,
exhilaratum dedistis, veris & vivis depingerem colori-
bus, plus sane spatií requireretur, quam, quod hujus
angustia paginæ suppeditat. Quis enim paucis ea deli-
neare potest, quæ paterna æmulantur beneficia? Horum
igitur, quotquot mihi, O! Carissima Capita! dedistis do-
cumenta, quæ & plurima & maxima fuisse venerabunda
mente dum vixero adgnoscam, nunc quidem pio invol-
vens silentio, me ipsum ut vestræ tutelæ in posterum

et jam

et jam commendo, ita Vestro me obsequio in perpetuum
quoque consecro. In cuius rei tesseram has studiorum
meorum primitias sincero pectore vobis do, dico, de-
dico, quas ut non tam pretio suo, quam animo dantis
aestimetis, qua decet observantia rogo atque obtestor.
Interea nihil neque constantius neque ardentius vovebo,
quam ut DEUS O. M. non Vos tantum ipsos, EVERGERÆ
OPTIMI, sed honoratissimas quoque familias Vestras
quam diutissime omnigena felicitate ornet, mactet, cu-
mulet! His vacaturus votis ad ultimum vitæ halitum
permaebo.

AMPLISSIMORUM CARISSIMORUMQUE
NOMINUM VESTRORUM

Cultor humillimus

ABRAH. NICOL. CLEWBERG.



§. I.

Quid sibi ipsa velint vocabula, quæ in fronte gerit Dissertatio, breviter exponit.

Quum ratio instituti postulet, ut varias exponamus caussas, ex quibus intelligatur, cur nunc floridus, nunc marcidus inveniatur Status Republicæ *Litterariorum*; prima omnium quæstio est, quid sit illud, de quo disputatur? Prius igitur, quam ad rem ipsam fiat progressio, paucis exposuisse juvabit, quid sibi ipsa velint vocabula, quæ in fronte gerit *Dissertatio*, tum ut Lectores intelligent, quis verus sit *scopus*, quem nobis proposuimus, tum ut ipsi perpetuam habeamus cynosuram, ad quam singula, quæ postmodum dicenda sunt, exigamus. *Respublica* (*a*) igitur *litteraria* (*b*) utilitatem quandam communem involvit, in homines redundantem ex eorum conatibus, qui ad studia bonarum *Litterarum* sive docendi sive discendi caussa, sive publicis sive privatis in Scholis incumbunt, quare, nostro quidem judicio, definiri potest per *Societatem hominum*, quibus propositum est *ingenium suum & aliorum ita excollere atque industriam ita acuere*, ut generis humani utilitatem promovere queant. *Florescere* (*c*) vero tum dicitur hæc Respublica, cum, qui eam constituant membra utriusque

A

que

que generis conjunctim non minus nobili *animo*, quam felici *ingenio* ornata, & *numerum* implet *commodum*, & *studium* adhibent *debitum*, ut quæ vel *Regio* vel *Religio* ex eorum vigiliis exspectat *commoda*, ea sibi & optima & plurima, utraque certo polliceri queat. Hoc vero si fiet, necesse est omnino, ut tum *Discipuli*, tum *Magistri* seorsim rem suam cordate & strenue agant. Horum erit remis & velis in id incumbere, ut ad spartam docendi ornandam, non minus animum *probis moribus* abunde imbutum, quam ingenium, *bonis artibus* præclare instrutum, adferant, atque ita in communem utilitatem intentos habeant oculos, ut ea nihil ardenter optandum, nihil enixius quaerendum, nihil fidelius promovendum existiment; Illorum vero, cunctos industriæ nervos in id intendere, ut ducum suorum partim idoneis *præceptis*, partim *præclaris exemplis* aucti, non minus pietatis quam veritatis se studiosos exhibeant; adeoque verum disciplinæ scopum semper intuentes, nihil dulcius, nihil svavius sentiant, quam sinceram & defæcatam animi voluptatem, qua toties perfunduntur, quoties experiuntur, quam optata & felicia in utroque genere capiant incrementa, & ad quam non tam *externis* quam *internis* diligentiæ *præmiis* excitantur, *proprium commodum communi utilitati postponere docti.*

(a) Accipe, qua ratione hanc rei notionem invenerimus: *Res vox* est ambigua, multis multa & variis varia significans, juta illud AUSONII: *imperium*, *Item*, *Venerem*, *cur una notat res?* Inter alia etiam *utilitatem* significat, quod indicant loquendi formulæ: *a re esse*, *e re esse*, *in rem esse*. *Publica* quasi *populica*, *poplica*, *a populo* vel *poplo*, *communem* significat *private* contrariam. Vide de his VOSSII *Lexicon Etymologicum*. (b) Hæc *Respublica* dicitur *Litteraria* a *litteris*, qua voce

voce erudita studia saepe designantur, ut omnibus notum est. Ipsa vero utilitas Litterarum non consistit in nudo *actu* studendi, neque in *effectu* studii scientia, sed in *fructu*, qui ex applicatione scientiae percipitur. (c) *Flores* plantarum non illa solum notant decora, quae in petalis varie formatis & coloratis consistunt, neque illam solam dulcem & suavem odoris fragrantiam, quam nares ex ipsa pollinis seminalis exspiratione percipiunt, sed potissimum vivum & latum floris germe, quod ipsum fructus rudimentum continet. Hinc *florere* tum dicitur haec *Respublica*, cum & ignorantiae tenebrae indies dissipantur & studia litterarum ita tractantur, ut benefica eorum indoles per omnia munera sese diffundat.

§. II.

Caussam floris bonarum *Litterarum* principalem & universalem in *DEO* optimo maximo & querendam & inveniendam esse, docet.

Quum ex ipsa *Reipublicæ Litterarie* natura, quam §. praecedenti delineavimus, facile quisque videat, *florem* ipsius in rebus optimis a) omnino ponendum esse; haud obscure exinde patere arbitramur, *primam* ipsius *caussam* in *DEO Optimo Maximo*, omnium bonorum fonte inexhausto, rectissime quæri & certissime inveniri; quidquid argutentur scioli nonnulli, qui huic veritati adversum tenent, nescio quam ingenii gloriolam ex paradoxis veroque contrariis opinionibus venantes (b). Primum enim *DEO* acceptam referimus naturam, plurimis tum discendi tum docendi facultatibus instructam (c). Deinde ne haæ in cassum cederent, fortissima illis adjectit incitamenta, quibus, tamquam stimulis, ad colenda *Litterarum* studia impelleremur (d). Præterea in eo nos loco positos voluit, ut undique circumfusi essemus tum

stupenda *multitudine* tum admiranda *pulchritudine* rerum, quārum singulāe animum nostrum in assiduam & atten-tam *sui contemplationem* incitarent, allicerent, pertrahe-rent. Tandemque inter *cognitionem veritatis & fruitio-nem felicitatis* tam arētūm constituit nexum, ut nīl illius idonea adsit mensura, hujus nulla fere usura generi humano contingere possit. Quid igitur certius esse pot-est, quam quod Creator benignissimus, qui nihil fru-stra agit, sed omnia aeternis sapientiae regulis conveni-enter ordinat, disponit, dispensat, hæc tam commoda *felicitatis instrumenta*, ex infinito bonitatis thesauro de-prompta hominibusque tributa voluerit?

(a) Hoc abunde testantur Sacrae Litteræ, quæ Sapien-tiam rebus quibusvis præstantissimis anteponunt; utpote au-ro & argento, gemmis & margaritis, gazi & thesauris, for-titudini & sanitati, paci & securitati, saluti & ipsi denique vitæ, verbo omnibus, quæ expetenda putant homines. Vi-de inter alia sequentia loca: Proverb. II: 11. III: 4. 13. & seqq. VIII: 10; XV: 24; XVI: 16; XXIV: 3. Job. XXVIII: 15. seqq. Eccl. II: 13; VII: 13; IX: 16; Sap. VI: 26; Syrach. X: 1. Quamvis au-tem testimoniis scripturariis nihil verius, nihil certius, nihil firmius; nescio tamen, quomodo hæc deliciæ animis profa-nis fordere soleant. Qui hac scabie laborant, ii ex Scriptis profanis testimonia his consona arecessere poterunt. Aurea ce-droque digna sunt verba CICERONIS: *Quid est per DEOS optabilius sapientia? Quid præstantius? Quid homini melius? Quid homine dignius?* - - - - Num sive oblectatio queritur anni, requies-que curarum, quæ conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliiquid anquirunt, quod spectet ad bene beataque vivendum; si-ve ratio constantiæ virtutisque queritur, aut bæc oīs est, aut nulla omniō, per quam eas assequamur. Lib. 2. c. 2. de Officiis. (b) In his jure locum tenet famosissimus Divioniensis certami-nis vīctor, de quo Cel. C. C. GJÖRVELL, cum scriptum ejus Gallicum, quod inscribitur: *Discours sur l' origine & les fon-demens*

demens de l' inégalité entre les hommes, recensuisset, & inter alia atro carbone notalet somnium Auctoris, quo eum, tamquam de humano genere bene meritum, laudaverat, qui primus docuit accolas fluvii Oronokensis certis asseribus comprimere cerebrum infantum, ne scilicet intelligendi facultas perniciofa caperet incrementa, adposite hanc addit epicrisin: Denna skrift är et uppenbart bevis, buru en klok menniskja likasom afklådt sig sin natur och fallit i en flags yra. Här har intet förmåst, mindre vördnad för GUDS Ord fört pennan och styrts tanckarna. Om det i Philosopiska Faculteten vore brukeligit att gjöra Folk til Fantaster, så vore Herr Rousseau en af de skickeligaste Candidater nu för tiden. Sv. Mercurius 1. Årgången p. 736. (c) Quorsum tanta intellectus soliditas? Quorsum tanta memoriæ vivacitas? Quorsum tanta imaginatio-
nis fœcunditas? Quorsum tanta ingenii velocitas? Quorsum tanta judicii profunditas? quanta in certis hominibus cernitur, nisi singulæ ad id datæ essent, ut Litteris colendis & sapientiæ promovendæ inservirent, iisque aliis prodescent. Nostro certe judicio providum DEI consilium nihil arguit-evidenter, nihil prodit luculentius; adeo ut omni stupiditate stupidiores videantur, qui tanta sapientiæ specimina, aut in cæcum quendam casum, aut in brutum aliquod fatum, inexorabili subjectum necessitati, transscribunt.

(d) Huc pertinet inter alia stupendum loquendi artificium & mirus jucunditatis sensus, qui ex communicanda scientia percipitur. Quid? Quod continua sciscitandi libido, quæ puerili, & adsidua effutiendi cupidio, quæ senili propria est ætati, haud obscure prodat finem, propter quem concessa est utraque, nimirum, ut hujus experientia illius suppleret ignorantiam. Confer egregium Scriptum Svecanum, quod inscribitur: Känningar af GUDS försyn vid nyttiga vetenskaps befrämjande, uti et tal hållit för Kongl. Svenska Vetenskaps Academien af Job. BROVALLIUS 1747.

§. III.

Causam primam marcescentis Reipublicæ Litterariæ in corrupta hominis indole quærendam esse, docet.

Quemadmodum autem Divina gratia, æternis sapientiæ regulis conformata, nihil reliqui fecit, quod ad florem bonarum Litterarum conduceret; ita malus genius, nefanda agitatus invidia, nihil reliquit intentatum, quod ad corrumpenda & impedienda hæc tam commoda felicitatis instrumenta pertineret. Hoc extra controversiam ponunt *Sacræ Litteræ*, quas quotidiana cujusvis *experientia* & monumenta omnium temporum *Historica*, auxilio *rationis* adjuncto, luculenter confirmant. Nam cum ex officina optimi Creatoris, integra ornati natura prodierimus, jam vero tam misere corruptis ac perversis utamur tum *mentis*, tum *corporis* facultatibus, facile videt ratio, verbo DEI revelato illustrata, non aliunde, quam ex malitia pestimi seductoris, arcellendam esse causam tam infelicis mutationis. Sic terfissimum *intellectus* speculum, in quo lux *veritatis* primitus nativis radiis resulgebatur, horrendis *errorum tenebris* oppletum fuit; Sic scitissima *imaginum officina*, quæ ex illis nomen sortita est, in lucernam quandam magicanam mutata est, quæ inversa repræsentat omnia, malis bonorum & bonis malorum speciem mentientibus; Sic præstigiis & mendaciis ita perversa est *boniformis mentis facultas*, quæ a volendo nomen habet, ut sæpiissime, invita rerum natura, bonarum tædio & malarum desiderio affiliatur; Sic tempestivum & ordinatum *sciendi defiderum* in inordinatam & malesanam quandam *curiositatem* transformatum est, quæ, præterita *veritatis substantia*, ut ita dicam, in meris *umbris* insana quærit pabula, ex rebus levissimis & vilissimis miserabilem quandam

dam voluptatem captans; Sic bona & sana alios *instituendī promptitudo*, in stultam & ineptam *garriendi libidinem* commutata, quæ solidæ expers scientiæ, nihil nisi somnia & mendacia sœpissime effutit; Sic cæteri naturæ *instinctus & appetitus luxati*, turbati, vitiati. Verbo: dum naturam intueor humanam, qualis in plerisque adparet, videre mihi videor infelicia *Herculanī rudera*, quæ, quamvis miserrime concussa, turbata, & confusa sint, certis tamen indiciis, quid e manu *Opificis* & quid e casu operis profectum sit, ostendunt. Nihil igitur mirum, si usū plerumque veniat, ut illiteratæ sint litteræ, indocta doctrina & inscia scientia.

(a) De concordia atque discordia rationis & revelatio-
nis semper disputatum fuit, & forte, dum erunt Litteræ, dis-
putabitur. Nobis ne micam rationis habere videntur, qui
aut ipsos naturæ nostræ morbos negant, integrum adhuc na-
turam sibi gratulantes, aut hominem, tot vitiis obrutum, quot
in sua aliorumque vita quotidie observant, ex officina DEI
Optimi Maximi prodire potuisse, infantiliter sibi persuadent.
Hoc certum est, quod in quantum quis sana utitur ratione,
in tantum non potest prius rejicere Sacrarum Litterarum testi-
monia de morbis animæ nostræ, eorumque tum causâ tum
medicina, quam eo ordine, quem Ipse præscribunt, exper-
tus fuerit, num vera sint, quæ tradunt; præsertim cum ex hoc
experimento suspensum velint judicium, quod de sua verita-
te a sanis & sobriis exspectant lectoribus. vid. Joh. VII: 17. (b)
De moralitate infiniti hujus sciendi desiderii, quo anima no-
stra ad discendi studium non tam duci, quam rapi videtur,
multa multi disputare solent. Certum quidem est, nos DE-
UM ipsum cognoscere debere, si bene & beate vivere veli-
mus, sed cum infinita DEI natura a nobis comprehendi non
possit, fini sufficere videtur, si simplici & parabili notitia
contenti, illa ipsa adquiescamus institutione, quæ in Sacris
traditur

traditur Litteris, eaque & uti & frui satius ducamus, quam cognitionem quandam justo sublimiorem affectando, perpetuæ nos inquietudini & sollicitudini exponere; præsertim cum ipse lapsus ex hujusmodi inordinato sciendi desiderio originem duxerit. Sed hæc dubia nunc nec vacat, nec placet excutere. Sufficit novissè, quod certum est, male applicari hunc naturæ stimulum, ubi acrius nos eo incitari patimur ad studium earum rerum, quæ exiguum aut nullam pariunt utilitatem, quam earum, quæ indispensabilis sunt necessitatis, & fructum pollicentur uberrimum perpetuoque percipendum. Hoc vitium recte notatum invenio in *Cel. ISAACO VOSSIO*, apud *Cel. MATH. CHR. PFAFFIUM*, cuius verba hic transcripsisse non poenitebit: „*Et hæc est*, ait, *sane tristissima mentis humanæ conditio*, *si ea quidem totum vitæ temporis litteris inhibet*, *atque unum ex alio eruditionis thesaurum colligat*, *ipsa interim timoris divini veræque pietatis vacua*. „*Quemadmodum de ISAACO VOSSIO* bodie adhuc in *Anglia* referunt, ipsum tanto *Auctores Classicos legendi desiderio flagrasse*, ut cum templum frequentaret, libri liturgici loco, *PERSIUM vel HORATIUM* secum apportaret, & toto durante cultu, eorum lectioni vacaret. — — — Et paucis interjectis; *Nimirum quemadmodum omnium rerum ita eruditionis quoque suus modus sua quædam satietas est*; mens vero nostra ut ut suis limitata periodis infiniti atque æterni boni desiderio tenetur, quod in *DEO* unice querendum, qui solus perficiendis ejus facultatibus, intellectui & voluntati sufficit, & quietem, cuius non sit amittendæ metus, ac felicitatem, in qua satietas non sit habitura tedium, animæ præstat, solus proinde *Summi Boni* characteres exhibens, inque se ipso perfectissime continens. Introd. in *Histor. Theologiarum Litterariam* Tom. II. p. 17.

§. IV.

Florescere docet Rempublicam Litterariam, ubi, qui eruditæ colunt studia, bonos & veros sibi præfixos habent fines.

A caus.

A caussis primis & generalioribus ad caussas subordinatas & specialiores progredientes, primum omnium illud causarum genus sub incudem vocare placet, quod *finale* vocant Methaphysici. Quamvis enim *finis* in executione ultimus sit, in intentione tamen primus est. Eoque rectius ab hoc duci putamus initium, quo certius constat, in omni actionum genere plurimum interesse, utrum quis bonum, an malum sequatur finem. Statim igitur quod res est dicam, tum optime florere Studia Litterarum, cum, qui ea tractant, *veros & bonos* sibi præfixos habent *fines*, ad eosque diligenter respiciunt, nihil fuscipientes, quod iis repugnare intelligunt. Ipsa vero tum bonitas tum veritas finium, quos eligere debent, qui bonis litteris invigilant, ex duabus potissimum rebus intelligenda, *sinceritate Religionis & felicitate Regionis*. Religio *sensum & cultum Numinis* complectitur, quorum uterque, nisi *verus & vivus* fuerit, ne nomen quidem tueri poterit. Quod ad Regionem adtinet, tum demum *veros & bonos* studiorum fines sequuntur eruditii, cum quidquid aut discunt aut docent, id eo valeat, ut seipso & alios cives utilia reddant Reipublicæ membra, qualia sunt, quæ et sciunt & volunt communem promovere utilitatem, eamque omnibus suis rationibus præponere, non minus jucundum sentiunt, quam pulchrum statuunt. Qui hoc animo ad colenda Litterarum Studia accedunt, ii demum digni sunt, qui egregio Doctorum titulo salutentur.

(a) Finis dicitur illud ipsum, quod quis actione consequi cupit. Multi, qui litteras dicunt, hoc ideo facere vide ri volunt, ut aliis sapientiores evadant. Sapiens autem non est, qui aliis tectius mala patrare novit, sed qui aliis rectius

bona inculcare didicit. Hinc viri docti non est, malis bonam & bonis malam inducere speciem, sed utriusque propriam novisse naturam, & ad bonum faciendum, malum vero fugiendum apta invenire media. Hinc omnem doctrinæ laudem decoquit, qui aut alios, quam bonos, sequitur fines, aut illis quærendis & inveniendis incongrua applicat media.

(b) Veri fines sunt, qui, quam præ se ferunt bonitatem, re ipsa tuentur. Illius igitur maxime floret eruditio, qui vanos fucos & inanes colores rebus abstergere novit, & singulas tales exhibere, quales re ipsa sunt.

§. V.

Ex pravis & spuriiis Litteratorum finibus tristissimam atque turpissimam ipsis Litteris nasci docet pestem.

Quemadmodum autem ex bonis ac veris Litteratorum finibus naturaliter sequitur vigor atque decor Litterarum; ita ex adverso nulla unquam neque foedior neque tristior his nasci potest pestis, quam cum illi sibi pravos & spurios proponunt fines, quod tum faciunt, cum ideo tantum erudita studia sectantur ut habeant, quo adamatis vitiorum monstris pabula metant. Hujus generis major est numerus, quam ut hic plane iniri queat. Sunt, qui eo discunt, ut discant, puro puto contenti sensu voluptatis, quem ex studio Litterarum percipiunt (a). Sunt, qui eo discunt, ut discantur (b), ad vanam gloriolæ umbram omnia referentes (c). Sunt, qui eo discunt, ut ditescant (d), utrumque oculum vel in opimam spartam vel in opulentanr Martham intentum habentes. Sunt, qui eo discunt, ut vanum inveniant suum, quo variis errorum idolis, quæ adorant, aliquem veritatis

veritatis colorem conciliare queant. Sunt, qui eo discunt, ut certis personis, quas odio habent, invidiam conflare possint (*e*). Sunt denique, qui eo discunt, ut, horribile dictu! varia inveniant dubia, quibus veritatibus omnium gravissimis fraudem struere possint (*f*), non quod mente sentiant, quæ voce effutiunt nefanda hac doctrina instructi (*g*), sed quod piam deferentes vitam, non illi videri volunt, qui sine ratione insaniant, sed quod falso sibi pertrudeant, hoc facto parari posse emplastrum, quo dolores, quos mortuus fauiciatæ conscientiae afferunt, leniant. Dici autem vix potest quantam malorum lernam hifines in Republicam litterariam invexerint. Si cui hoc minus constet, is cogitet, velim, quam ſepe uſu venire soleat, ut, qui his ducuntur rationibus, *vana* quam vera, *arguta* quam ſolida, *paradoxa* quam ſincera, *inutilia* quam utilia, *obſcena* quam honesta, *impia* quam pia, studiosius conſectentur; id quod non potest non florem litterarum paulatim depaſcere, donec penitus marceat, flacceſcat, decidat.

(*a*) Ea est indeoles veræ eruditionis, ut, quemadmodum umbra corpus, ita illam sequatur voluptas. Quod si vero quis cum cane *Aſopi*, projecta carne, umbram captare vellet; næ is albo ſtultorum merito eſlet adſcribendus. Interea quanta malorum lerna ex nimio voluptatis desiderio ex Litteris captandæ eruperit, infinita teſtantur exempla juvēnum, quibus cum ſemel arriferunt deliciæ, quas ſibi invenire viſiſunt in lectione Fabularum Romanensium, eo mollitiei deveſnere, ut ad ſeria ſtudia prorsus facti ſint inepti; ut nihil dicam de labore, quam mores ex eodem fonte hauerunt. Quid? Quod ipsum Philosophiæ ſtudium in malis ſit babendum, ſi propter ſolum jucunditatis ſenſum adhibetur. Egregie de hac

re SENECA: *Prima virtus sit, hæc ferat signa; habebimus nihil minus voluptatem, sed ejus domini & temperatores erimus: Aliquid nos exorabit, nihil coget. At hi, qui voluptati tradiderunt principia, utroque caruere; virtutem enim amittunt. Ceterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet, cuius aut in opis torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deseruntur ab illa, miseriores, si obruuntur. Nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit.* Egregie quoq; de hac re BERNHARDUS: *Qui se, inquit Apostolus I. Cor. VIII: 2. putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat cum scire. Vides, quomodo non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodo fructum & utilitatem scientiæ iu modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo FINE quæque nosse oporteat? Quo ordine? ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo FINE? ut non ad inanem gloriam, aut ad curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad edificationem tuam vel proximi. Sunt enim, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, & turpis curiositas est.* Vid. Tom. II. Serm. XXXVI. pag. 62. Edit Lugdun. 1679. & confer Aug. Herm. FRANCKII Libr. de Methodo Studii Theolog. Cap. II. pag. 47. §. VI. Is quoque, quem modo laudavimus, SENECA, Epistola CVII & alibi passim hoc vitiorum genus egregie castigat: *Id de quo queris, inquit, ex his est, que scire tantum eo, ut scias, pertinent. Allegat deinde verba ATTALI, qui idem dixerat, & dissentienti & docenti esse debere propositum, ut ille proficere velit, hic prodeesse. Et Epist. XVI. Non est, inquit, Philosophia populare artificium, nec ostentatione paratum, non in verbis, sed in rebus est. Nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblatione consumatur dies, ut dematur otio nausea.* Epist. XVI. p. m. 245.

(b) Cel. Ben. AVERANUS apud CLERICUM Bibliothecaque choice Tom. XXII. part. II. p. 19. his verbis argumentum orationis exhibet: *Superbiam dico & vanam animi elationem, opinione doctrinæ sibi blandientis & magnifice se circumspicientis & ineptissime venditantis bane*

banc inimicam esse virtuti, infestam sapientiae, doctrine studiis exitiabilem, banc esse ingeniorum scopulum, bonarum artium hustum, intelligentiae cæcitatem, mentium caliginem & tenebras, nec quicquam magis cupidis Litterarum hominibus esse metuendum, fugiendum, detestandum, quam superbiam falsoque conceptam opinionem de suo ingenio & scientia, demonstravo. Orat. VII. p. 105. Vid. BERNHARDII Serm. XL. it. LANGII Florilegium tit. superbia, &c. Si exemplo res probanda, illud satis idoneum dabit doctissimus P. BAILIUS, de quo inter alia hoc scriptum reliquit Præcl. J. J. ALNANDER: Han brann af en oändelig begärelse att vinna et stort namn; och satte däruppå så bögts värde, att han aktade all annan fällhet där emot för intet. För att mätta denne begärelsen var intet så svårt eller så dyrbart, som han icke vågade. Han uttröttade sina krafter, han fbrspilde sin qwicket på ovårdiga ämnen, och hvilket värst var, han lämnade Religionens helige formurar icke orörda. Anvisn. til et utvaldt Theol. Bibliothéque. I. Afdeln. I. styck. §. 2. p. 18.

(c) De his recte usurpaveris illud PERSII:

usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter,
Et pulchrum est digito monstrari & dicier hic est.

(d) Avaritiam omnium malorum radicem jure vocat PAULUS I. Tim. VI: 10. Idem agnoverunt gentiles, & inter eos BION, cui Metropolis omnium vitiorum audit, apud LANGIUM. Graviter b. Aug. Herm. FRANCKIUS: Hi omnes &, qui hominum similes sunt, eo quod rem maximi momenti (studium Theologiae) sine certa destinatione animi aggrediuntur, vix homines dici merentur. Sunt vero alii, qui sui notitiam adeo nullam habent, ut supponant quidem gloriam DEI, sue animæ & aliorum hominum salutem finem studiorum esse obortere, quum interim eum, quem præ se ferunt, scopum ne limis quidem respiciant, sed unice ad temporalia carnis emolumenta omnia referant erasissima hypocrisi, non alios modo, sed se ipsos quoque, & multo quidem se magis, quam alios fallentes. Inter hos audias quam

plurimos distinctionem inter finem primarium & secundarium ad Theologie culturam male applicare. Concedunt enim gloriam DEI primarium finem esse debere, & nihil obstat quo minus commoda mundana, tamquam finis studiorum secundarius, appetantur, falso sibi persuadent; quum tamen si animum suum percontarentur, facile intelligere possint, ea se primario querere, quæ non nisi secundario se expetere memtiuntur. Utinam vero hi Christum audirent discipulos suos monentem: Quærite primo Regnum DEI & omnia ista adjicientur vobis. Math. VI. 33. Apertius nonnulli mercenariam operam Theologiae Studiosis adjiciunt, fatentes nimirum se propterea scientiam Theologicam sibi comparare, ut habeant aliquando, quo vitam tamquam opificio quodam sustentent. De methodo Stud. Theolog. Cap. II. §. V. p. 40. seqq.

(e) De his audiamus nuper laudatum FRANCKIUM, qui, alii, inquit, in eo finem studii Theologici collocant, ut protervius litigandi, aliisque tanto violentius insultandi facultatem consequantur. In multos enim etiam hodie quadrant illa satis nota JOSEPHI SCALIGERI:

*Quo te ambulando cunque vertas gentium
Vitare non est disputatorum genus,
Procax, protervum, fastuosum, garrulum,
Quos pacis hostes ultima bæc ætas tulit:
Qui nocte lucem nigra vertunt candidis
Et quæstiōnum tristitate condīunt
Notas in usum sobrii r̄isus dapes;
Hos nec decorum est nec tutum refellere,
Tali hoste viēto quis triumphus te manet?
Nec dignitatem fronte ferrea pudor
Expressus auget; claritatem nec dabit
Exorta rixis veritas. In jurgiis
Vicisse nolle quem queas victoria est.*

Observat Celebr. PFAFFIUS de famoso scriptore Anglo, COLLINO, auctore libelli, de libertate cogitandi, quod eo affectu

affectu scripsit hunc libellum, ut Clerus adfligeretur, & ad iras concitaretur, Vid. *Dissert. de præjudicatis opinionibus in Religione dijudicanda fugiendis* (p. 66. not. i.) De JOHANNE de SECUBIA, Hispano, refert Cel. SAM. VERENFELSIUS, eum, in præfatione particularum fateri, glorioſos in generazione sua progenitores feciſſe libros, (concordantias) Alphabetico ordine, sed præcipue vocum declinabilium, addens, qua occasione collegerit ipſe partim proprio Marte, partim opera vicaria ſui Capellani M. WALTHERI, Schonau-Scoti reliquas voceſ non flexiles, nempe in uſum concilii Basiliensis, ut hinc adverſus GRÆCOS vox particularum ex & per illinc adverſus HUSSITAS & BOHEMOS voculae niſi omnes excuterentur. Criticam artem hi obtendunt, qua nihil fere eſt utilius, ut honesto nomine vana velent; ſed appellaverint rectius nugandi ſtudium, aut quisquiliarum farraginem. Quid, quæſo, cum de eorum ſenſu conſtituerit, quæ ſcire noſtra refert, de verbis adeo ſollicitos eſſe juvat, ut circa unam litteram in partes eamus? Quid aliud egide ceneatur ANGELUS ille POLITIANUS, quamdiu vixerit, disputans: dicendumne eſſe VERGILIUS an VIRGILIUS? Carthaginensis an Carthaginienſis? Primus an preimus? quam ut de rebus, lana caprina viſioribus, ſteriles movendo rixas, nugivendum indicaret ingenium? Nam, qui animum ad tam exiles obſervationes applicat, ex juſticio BACONIS de VERULAM, magnæ cogitationis capax non eſt. Proinde ſubtilitas hujus non alio digna videtur responſo, quam illo SENECAE: Quid te torques ac maceras in quæſitione, quam ſubtilius eſt contemniſſe, quam ſolvere. Epift. XLIX.

(f) Hinc Quidam ita perſtrinxit vecordiam quorundam recentiorum Scriptorum, qui Religionem ex obliquo impugnant: *En traitant des mœurs & des coutumes des Indiens faites un long chapitre de leurs ſortileges, de leurs ſuperſtitioſes & de leurs ceremonieſ idololâtres: ce qui vous donnera une belle occaſion de lancer quelque trait malin contre la religion de votre païſ. C'eſt un des ornementz modernes, dont je vous recommande ſur tout de parer votre hiftoire: vous paſſerez pour un libertin, tant mieux pour vos ouvrages; j'en connois un grand nombre, qui ne*

ne se soutient que par cet endroit-la. Vid. *Choix Litt.* Tom. VII. Quanta ne admiratione se captos fingunt hi homunciones, dum mores & instituta barbararum gentium exponunt. Quamne, inquietant, religiosus & sua sorte contentus est Turca? Quam humani Chinenses? Quam justi Caraibes, quamvis hostes suos comedant? Quam acutus Bramines? Quam devoti Drevires & Fauges? Quanta sui abuegatio apud Soufes, sectam quendam in Persia? Haec multi cum voluptate legunt, nec tamen in caussas horum vitæ generum inquirunt. Inde oritur contemptus & negligentia veræ religionis, adeo ut multi a dignitate sua alienum putent, DEUM devote, saltem publice, colere.

(g) Hoc suo jam tempore observavit SENECA, quod haec ejus verba indicant: *Alioquin, ut scias, subesse animis, et jam in pessima abductis, boni sensum, nec ignorari turpe, sed negligi; omnes peccata dissimulant, &, quamvis feliciter cesserint, fructu ipsorum utantur, ipsa subducunt.* Epist. XCVII. His non piget addere verba doctissimi P. BAILII, in eandem sententiam: *Il est assés apparent, que ceux, qui affectent dans les compagnies de combattre les vérités les plus communes de la Religion, en disent plus qu'ils n'en pensent, la vanité a plus de part à leur disputes que la conscience. Ils s'imaginent, que la singularité & la hardiesse des sentimens, qu'ils soutiendront, leur procurera la réputation de grands esprits leqq.* *Dict. Histor. & Crit.* T. I. Tit. des Barreaux f. 1036. 6. Quæ verba ubi adduxit Cel. PFAFFIUS, paucis interjectis, sequentia addit: *scilicet homo ad Religionem natus est, nec possibile est id excutere, quod ipse DEUS inplantavit.* Cæterum hic ipsum reum habemus confidentem. Diss. cit. p. 63.

§. VI.

Faciat transitione a caussa finali ad caussam materialem, florēm Reipublicæ litterariæ a reali cognitionis genere deducit.

Expositis pro ratione instituti breviter tum commodis

modis tum incommodis, quæ ex alia atque alia oriuntur
indole *finium*, quos sibi proponere solent, qui erudita stu-
dia tractant, in Rempublicam litterariam redundant; se-
quitur, ut illud caussarum genus, quod *materiale* vocant,
paucis expendamus, quid ex hujus diversa natura in u-
tramque partem sequatur, visuri. Materiæ autem nomine
nobis hic veniunt res ipsæ, circa quarum cognitionem
versantur, qui litteris vel docendis vel discendis invigi-
lant. Quod igitur ad has ipsas res adtinet, omnium pri-
mum observare licet, non esse omnes ejus indolis, ut,
qui earum cognitionem alteri impertire cupit, eas ipsi
immediate sentiendas exhibere possit (*a*); sed saepius ne-
cessitate habeat ad ipsas repræsentandas certa adhibere signa,
quæ communissime in terminis seu vocabulis consistunt.
Hinc duplex existit cognoscendi genus, *intuitivum & sym-
bolicum*. Qui ope *symbolorum* discunt, ii aut in istis, tam-
quam corticibus, subsistunt, aut ad res ipsas penetrant.
Si hoc *realis*, si illud *verbalis* (*b*) audit cognitio, quarum
prior veram & solidam, posterior vanam & ventosam pa-
rit eruditionem (*c*). Quod hinc deducere juvat corollari-
um, id illic redit, tanto lætius florere studia litterarum,
quanto diligentius id agunt hinc docentes, illinc discentes,
ut non tam *verbalis*, quam *realis* adquiratur cognitio.
Quod ut eo rectius intelligatur, age paulo distinctius e-
volvamus modum, quo utrumque cognitionis genus pa-
retur. Qui, dum verba audit docentis, iis se ad res i-
psas deduci finit, ut, quæ eis vel adsunt vel insunt, quasi
intueatur, donec veram & vivam sui expressionem in a-
nimo reliquerint, is *realem* sibi cognitionem peperit; quam
si fidæ commiserit memoriæ, unde, tamquam e penuario,
quoties opus fuerit, depromi potest, is *realem* quoque e-

ruditionem possidet, eoque majorem, quo plura hoc modo didicerit, modo singula cognitu digna fuerint. Qui vero contra, dum alium audit docentem, in solis adquisit verbis, eorumque vel merum sonuni memoriæ mandat, ut corvi & psittaci solent, vel hoc audito, ope imaginationis per arbitriam compositionem & divisionem, sibi in cerebro aliquam inanem speciem fingit, quæ non respondet iis, quæ rei insunt vel adsunt, sed vel merum ingenii lusum continet, vel certam quidem ideam, sed alienam tamen, & tales, qualem vel optaret, ut verbis auditis subfisset, vel ne subfisset, metuit, is verbalem tantum adquirit cognitionem. Quemadmodum igitur multo diutor est, qui genuinis monetis distentam habet crumenam, quam qui in charta pictis gaudet nummis, ita sanorum omnium judicio longe doctior est, qui intuitiva rerum, quam qui imaginaria verborum cognitione abundat.

(a) Interim hæc via est optima seduloque calcanda, ubi eam licet ingredi, quod quo felicius factitatum fuerit a Docentibus, eo lætius florent litteræ in animis discentium. Optandum igitur esset, ut ubique locorum, ubi Scholæ vigent publicæ, necessarius adfuerit adparatus rerum, quo discentes crebrius ad intuitivam scientiam illico adduci possent, ne in antecessum cogerentur imaginariis simulacris, loco verarum idealium, teneram onerare memoriam, præfertim cum verum sit illud tritum: *facilius est discere, quam dediscere, & illud: quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.*

(b) De verbali cognitione valet judicium summi nostri temporis Philosophi atque HEROUM Principis, *REGIS Borussie, in Memoires de Brandenbourg: WOLF commenta l' ingenieux système de LEIBNITS sur les Monades, & noya dans un déuge de paroles, d'argemens, de corollaires & de citations, quelques problemes, que LEIBNITS avoit jetté comme une amorce aux Metaphysiciens. WOLF écrivit laborieusement nombre de volumes,*

mes, qui au lieu de pouvoir instruire des hommes faits, servent tout au plus de Catechisme de Dialetique pour des enfans.

(c) Illud maxime dolendum, quod res maxime necessariae sapissime duntaxat verbaliter, ut ita dicere liceat, cognosci soleant. Huc pertinent in genere res omnes practicæ, & in specie Theologicæ; quod ne gratis dixisse videamur, judicem adpellamus lummum Philosophum ill. CHR. WOLF-FIUM. Is hanc ponit & demonstrat Thesin: *Si auctor terminis rerum practicarum jungit notiones, quas praxis ipsa ei fugessit; mentem ejus rectius non intelligit, quam, qui ipsa præxi easdem in se notiones excitat.* Monui, pergit, in notis ad Orationem, de SINARUM Philosophia Practica, CONFUCIUM, SINARUM PHILOSOPHUM, firmiter fuisse persuasum, absque exercitio veras rerum moralium notiones comparari non posse; nec obtineri nisi umbras earum & inanis ac sepe falsas imagines. Vid. not. 106. 111. quas citat in Logica sua P. II. Sect. III. Cap. VI. §. CMXXX. Conferantur ea, quæ §. & seqq. monet præsertim vero §. CMLXXI. ubi de notionibus Theologicis agit, §. CMXXXII. ubi de Historia Naturali, §. CMXXXV. ubi de experimentis, & §. CMXXX. ubi, de rebus practicis rite intelligendis, perdocte disputat. Hinc quoque FONTENELLE dans les Dialogues des Morts p. 13. la Philosophie est en elle même une chose admirable, & qui peut être fort utile aux hommes; mais par ce qu'elle les incommoderoit si elle se mêloit de leurs affaires, & si elle demeureroit auprès d'eux à regler leur passions, ils vont évoqué dans le ciel arranger les planètes, & en mesurer les mouvements. Quocirca in tractatione veritatum practicarum erit observandum, quod ipsæ ita proponi debeant, ut non solum de iisdem persuadeantur homines, sed eadem quoque a nobis sentiantur, alioquin enim non vita sed scholæ discimus, ut loquitur SENECA. Hinc apud veteres PERSAS ita olim in virtutum-exercitio instituebantur juvenes, ut nunc apud nos in scientiis. Quum enim homines hominum caussâ sint generati, ut ipsi inter se aliis prodeſſe possint, facile patet, præcipue colendas esse disciplinas practicas, quæ nos sapientiores reddunt, & ad bene beataque vivendum instructiores. Sed & hoc

hoc apparet, Philosophia Aristotelica & Scholastica haud exiguum partem nihil facere ad sapientiam. Obscuris enim vocabulis ARISTOTELES ejusque sectatores quam maxime delectantur, & a communi usu remotis vocibus nescio quem insignis sapientiae strepitum edunt, quum detraicto hoc involucro, brutis istis sine mente sonis nihil plerumque insit, quod vel cassa nuce emeres. Causam ventosae hujus Philosophiae si queras, probabile est, ARISTOTELEM inani hoc verborum strepitu uti voluisse, ut plura & sublimiora scire videretur. Obtinet enim apud plerosque homines, ut res eo magis admirantur, quo minus eas penetrant, & ex ipsa ignorantia sua de aliorum scientia judicent.

§. VII.

Florem Reipublicæ Litterariæ miserrime marcescere, ostendit, ubi homines Litteris operantes omnem eruditionis laudem ex verbis metiuntur, solidam rerum scientiam fastidientes.

Atque hoc eo minus in dubium vocari potest, quo certius constat, nullam injuriam fieri *doctoribus mere verbalibus*, si sic dicere liceat, cum quis omnem ipsis laudem eruditionis solidioris denegat. Tantum enim abest, ut vere eruditи sint censendi, qui variis verborum bullis, (a) velut deauratis phaleris equi, ferociant, ut potius vera eruditio veram pariat modestiam. Quid? Quod præstet nullas didicisse Litteras, quam miserum cerebrum infano ejusmodi fumo indurasse (b); quippe qui *notiones* quoque *communes* suffocat, efficitque ut, qui se doctissimos artium Magistros videri volunt, ii in simplissima cognitionis principia non raro impingentes, etiam servis & ancillis se deridendos propinent, tamquam homines vercordes,

cordes, quibus *illiterata* sua *litteratura* naturalem omnibus facultatem rationis expunxerit. Quid vero docti cogitabunt viri, cum hos, vel de maximis mysteriis tanta fiducia pronuntiantes audiunt, quasi cunctas sapientiae divitias, quas sibi detegendas reservavit summum Numen, in suam redegissent potestatem, vel minutulam scientiam rerum levissimarum & vilissimarum tanta insolentia jaçantes, ac si universos naturae thesauros in suo pectore clausissent. Quotquot cum bono animo *realem* conjunxerunt *cognitionem*, non poterunt non tantæ inscitiae terrima tangi misericordia, iisque toto pectore bonam adprecari mentem. Quid vero illi? Quemadmodum extrema *rerum imperitia* laborant, ita illis nihil proterius est, aut inhumanius. (c) Quoties enim in Doctorum viorum scripta incident, quæ vel tantillum abire ipsis videntur a vana eruditionis spuma, quæ in superficie cerebelli sui natat, toties de quavis littera & syllaba non dubitant acria movere bella, non argumentis sed conviciis depugnantes. Quid? Quod illico parata haberent patibula, ad puniendos fictos adversarios, si quantum immanitatis habent, tantum haberent potestatis. Potest vero quidquam, aut a bono animo, aut a fano judicio vehementius abhorrire, quam fannis & probris excipere errantem, quem placida admonitione & solida institutio ne in viam rectam reducere jubet humanitas? Quis unquam odio habet alium, illam solam ob caussam, quod se felicitate inferior sit? Nonne mente captus sit oporteat, qui sanius non judicat? En quorū dementiæ (d) insanus *verborum amor* adigere possit animum humanum. Hoc vero parum videtur, si conferatur cum illo furore, quo magna pars mortalium agitur, dum quidquid habent

carissimum, litteris & syllabis, tamquam Diis, immolare non dubitant, ne ipsi quidem vitæ parcentes. Si dubitas, expendas vélim, quid præter *mera verba* sit, quod tanto nisu & tanto ausu parare satagunt, qui ad nominis æternitatem grassari conantur. Tanto autem funestius est damnum, quod *Respublica Litteraria* ex hoc vitio capit, quanto latius patet & tenacius inhaeret mentibus, quæ illo semel sunt infectæ: patet autem latissime & inhaeret tenacissime. Quotus enim quisque est mortali-
num, qui ubique ad *rерum medullam* penetrare potest, & non saepe in vacuo *verborum cortice* hærere cogitur? Hoc neque intelligunt neque adgnoscunt, qui omnium gravissime hoc morbo affliguntur, contra vero, ut quisque amplissima & solidissima *rерum cognitione* gaudet, ita hoc maxime & perspicue intelligit & ingenue agnoscit. Quo autem diutius quis unicam mali medicinam, quæ in adtentione consistit, neglexerit, eo difficiliorem habet curationem. Qui enim diu *vanos verborum fumos* captarunt, ii tam volatice sunt ingenio & tam desultorio judicio, ut vel tantillam adtendendi patientiam onus Ætna gravius putent. Ex quo fit, ut plerique nunquam ex hoc luto eluctari possint.

(a) Hunc morbum, suo jam ævo grassantem, castigavit SENECA, quod scripta ipsius passim testantur. Vide, si placet, Epist. XLV. op. T. I. p. m. 342. Epist. CXV. pag. 645. Nota est pugna, olim inter Stoicos & Peripateticos tantoper agitata, de questione: *an dolor sit malum?* Ajunt Peripatetici, negant Stoici; sed *verbis* ludunt, de ipsa re consentientes. Nam, cum hi fugendum esse docebant, non nisi *verbum mali* resiciebant. Audiamus CICERONEM, lepide homines irridentem: *Concludunt ratinculis Stoici, quare dolor non sit*

fit malum, quasi de verbo non de re laboretur. Lege totum locum, ubi hæc diffusius exsequitur. Tusc. Quæst. Libr. II. Verbum voluptatis, quo utebatur EPICURUS, tantopere horrebat ANTISTHENES, ut non dubitaret dicere: *μαρτυρίνην οὐτογένην, ισθνει μαλλέ, καὶ μαλπτατην επαρεῖναι;* re autem ipsa idem quod EPICURUS sentiebat, quod alius Stoicus, isque acerrimus, nempe SENECA, aperte & rotunde fatetur. *Mea quidem, inquit, ista sententia est, sancte EPICURUM & recta precipere & si proprius accesseris, tristia: Voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur.*

(b) Hoc neque rectius nèq; gravius adstruere possumus, quam auctoritate ipsius PAULI. Ita vero ille: *Is inflatus est, nil sciens, sed insaniens circa questiones & disputationum pugnas, ex quibus nascitur invidia, contentio, maledicentia & suspicio-nes male: Supervacanæ conflicitationes hominum mente corruptorum, & quibus admota est veritas, qui existimant questum esse pietatem. Sejunge te ab iis, qui ejusmodi sunt.* I. Tim. VI. v. 4. 5. Potuit vividioribus coloribus ægrotus noster depingi? Celeberr. SAM. WERENFELSIUS Dissertat. de Logomachiis Eruditorum Cap. IV. §. V. Idem, docemus, inquit, aut voce aut scripto, in utroque videndum nobis est, ut non tam doceamus verba quam res; qui enim verba discipulo suo magis inculcat, quam res, facit ut is ferre non possit eos, qui aliter loquuntur, atque ipse loqui didicit, quamvis idem prorsus sentiant.

(c) Hæc observatio quantivis est pretii, optandumque, ut omnes hoc lapide lydio probare vellent eruditionem hominum. Sic enim fieri posset, ut tandem auribus nostris parcerent scoli nonnulli, *verbalem suam cognitionem insolenter jactantes.* Hujus modestiae præclarum exemplum nobis reliquit Cel. GAUSENUS, qui, nos, inquit, qui per totos quatuor annos Dialecticam & Metaphysicam publice prælegimus, si quando mos, imperiosa res, jubeat, ut que ratio cōtexuit ratione dissolvamus, toties rubore perfundimur, qui hoc tacito conscientiæ sensu intelligimus, nos supra hominum vulgus extra VOCES

VOCES TECHNICAS nihil sapere; parum autem liberale facimus esse, voces, hoc est fumum, tanto cum apparatu e chatedra venditare &c. Dissert. de utilitate Philosophiae ad Theologiam apud WERENFELSIUM, C. VII. §. III. p. 166. 167. Adde similia Adr. TURNEBI verba Adversar. Lib. XXIII. Cap. XXV. Facere non possum, quin hic adjiciam verba doctiss. Gothofr. WOCKERODTII, sic scribentis: *Demonstratum est, eruditionem eam demum veram solidam & magnam esse censem, quæ non tam copiosæ scientiæ fiduciam, quam ignorantia parit agnitionem & ingenuam professionem: & tanto sapientiorem doctioremque existimandum esse, quo quis magis, vel multa discendo expertus est humani captus angustias, mentis cœcitatem, animi vanitatem, ipsarumque artium humano ingenio excogitarum vel amplificatarum inania; ita ut ex animo istud usurpet: QUANTUM EST, QUOD NESCIMUS? & illud: NECESSARIA IGNORAMUS, DUM NON NECESSARIA DISCIMUS.* In commentat. de vera & falsa eruditione, in antecell. p. 9.

(d) De vrai le plus souvent ils semblent être ravalés même du sens commun; car le paysan & le cordonnier vous voyez aller leur train simplement & naïvement, parlant de ce qu'ils savent: Celuici, pour ce vouloir gendarme de ce savoir, qui nage en la superficie de leur cervelle, vont s'embarrassant & s'empêtrant sans cesse. Verba sunt MICHAELIS de MONTAGNE Livre I. Cap. XXIV. Huic succenturiamus Cel. G. WOCKERODTIUM: *Communum, inquit ille, officiorum minus studiosi custodesque & ad vitæ civilis cultum habitumque ineptiores erunt semper homines Litterati, quam Litterarum ignari; unde Græculus litterio Romæ pro stulto erat, ac quæc in fabula insignis vecordiæ nota exprimenda erat, illam Poëtæ effingebant in persona GETÆ vel HEGEMONIS, paedagogi domestici vel servi litterati, berilis filii comite ad sacra in palæstram & ludum. In veteri etjam Satyra infame nomen Sophistarum, ac vix nominari potest stultitia, quæ Philosopum non habeat auctorem. Nec mirum: accidit enim illis Pauli pronunciatum supra memoratnm: SAPIENTIAM PROFESSIONI, STULTI FACTI SUNT.* Loc. cit. p. 50. Multa hic addi possent, sed temporis angustria exclusi ea alii occasioni reservare cogimur. §. VIII.